



Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.
tribunali animam Deum verè quærerentem paternè ...**

Eisvogel, Veremund

Augustae Vindelic., 1727

31. S. Wolfgangus Episcopus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](#)

Festum S. Wolfgangi Episcopi,
& Ratisbonensium Patroni Pri-
marii.

EXHORTATIUNCULA I.

LAUS HOMINUM QUANTUM DEMULCET
ANIMOS NOSTROS! FILI! NON ITA DO-
MINATA EST S. WOLFGANGO. HIC POPULA-
REM AUFUGIENS AURAM, IN SOLITUDINEM
ABIIT. HÆC FUGA PRODIGIIS NON CARUIT.
CHARE! ALII NOS CELEBRANT LAUDIBÙS;
NOS PLURA VITUPERIÒ DIGNA IN NOBIS LATE-
RE SCIMUS; CUR ERGO CITIÙS ILLIS, QUÀM
NOBIS CREDIMUS? ITÁNE NOBIS VILUIMUS?
SI ENCOMIA TALES NOBIS REDDERENT, QUALES
DICUNT, QUÆRENDI UNDIQUE FORENT PRÆ-
CONES, & PANEGYRISTÆ. NON HOMINI,
SED NOSTRÆ CREDAMUS CONSCIENTIÆ. IN
HAC TESTEM HABEMUS INFALLIBILEM.

Instructio meritoria.

CHARE! CUR ITA VACUI VIRTUTIBÙS? QUIA
CUPIMUS NIMIÙM ABUNDARE HOMINUM
FAVORIBÙS. CONVERSATIO IGITUR NOSTRA
SIT CAUTISSIMA. AD LAUDES TACEAMUS, &
MENTALITER NOBIS DICAMUS: *Regi sæculo-
rum immortali, & invisiili, joli Deo*
CC 2 honor

honor, & gloria in secula seculorum.
 Ante cubitum nocturnum deponamus
 omnia opera, dicta, & cogitata in vul-
 nera Jesu, & sinum Mariæ cum conte-
 statione: *Non nobis, Domine! Non*
nobis, sed Nomini tuo da gloriam. Ho-
 die dicamus psalmum: *Confitemini Do-*
mine; *Quoniam bonus, quoniam in se-*
culum misericordia ejus. Ex abundan-
 tia cordis loquitur os.

II.

D. Wolfgangus suâ institutione Im-
 peratorem Henricum sanctum
 peperit orbi. Tanti interest, bonos in
 vita spirituali sortiri Magistros. Simus
 & nos (dilecte!) respectu populi Chri-
 stiani per illustria morum, & virtutum
 exempla, atque opera. Verbis opus
 non est, ubi facta loquuntur. Mutus
 hic orator declamatoribus cunctis effi-
 caciōr persuadebit. Non potest bonus
 Rex, aut duxtor esse populi, qui fuerit
 malus subditus cœli.

Instructio meritoria.

Multa paucis dixit quidam de S. Wolf-
 gango: *Da tales preceptores, & tales*
habe-

XXXI. Octobris. S. Wolfgangi. 605

habebis Imperatores. Pro felicitate Romani Imperii offeramus SSS. Trinitati per manus S. Wolfgangi S. Rosarium cum Cursu Mariano. *Grati estote, clamat Paulus. Cœlum! habere Pontificem sanctum, & Cæsarem Christianissimum, quæ hæc tua in nos providentia!* Bonitas quanta!

III.

O Miraculum ! casuram mali angeli impulsu rupem Vir Domini sui corporis obnixu sustinuit. Ecce ! mi fili ! Non desunt vires corpori jejuniis, & vigiliis exhausto. Non sustinuisse, si benè masticasset ventrem D. Wolfgangus. Carnis mollitie collitur vigor Divinæ gratiæ. Hinc illa S. Cypriani quotidiana oratio : *Domine Iesu ! Da nobis ad te placandum orare impensis ; diem luctu transigere ; Vigiliis, & fletibus noctes ducere ; Stratos solo adhærere cineri, in cilicio, & sordibus voluntari.*

Instructio meritoria.

Onera, sarcina passionum heu quanta in nobis : Removenda, abjicienda sunt !

C c 3

Quo-



606 I. Novembris. Sanctorum Omnis.

Quomodo? afflictione, & mortificatio-
ne. Igitur cilicia, & jejunia jugiter am-
pleteamur, unāque, vel alterā vice per
septimanam rebellibus applicemus cor-
poribus. Quid arma à latere, vel in ma-
nibus militum, si nunquam contra ini-
micos stringantur? Dum sumus in ope-
re pœnitentiæ, *Psalmos pœnitentiales* of-
feramus Deo contra tentationes carnis.
Huic non parcatur. Dei Filius toto vi-
tæ passus est tempore: Et homo semper
in deliciis, semper in voluptatibus! Quæ
hæc similitudo cum Christo?

N O V E M B E R.

Festum omnium Sanctorum
triumphantis Ecclesiæ.

EXHORTATIUNCULA I.

Filli! periclitamur omni horâ! Insi-
diæ sunt undique, & innumeræ.
Ad aliquem ergo sanctorum convertere,
monet Job patientissimus. *Multò plus*
valet unus sanctus orando, quam pecca-
tores innumeri præliando. Origenes. Sa-
pienter & D. Bernardus: *Summopere*

no.

